



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Nomenclator Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Qvi
Ab Anno Christi Millesimo quippiam commentati sunt, Sev
Ab Eo Tempore quo Pontificis electione ad eos tantum ob
Romani cleri multitudinem ...**

**La Rocheposay, Henri-Louis Chasteigner de
Tolosae, 1614**

A Clemente VI. Creati.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10735

A CLEMENTE VI. CREATI.

STEPHANVS ALBERTI, ex Episcopo Claramontano Cardinalis, Gallus, qui postea Innocentius Papa sextus, Pontificij, Ciuilisque Iuris consultissimus, scripsit

Sermones aliquot:

Epistolas & decreta.

Regestique eius volumina 19. in Bibliotheca Vaticana seruantur. Obiit anno 1362.

GERARDVS DOMARVS Lemouicensis ord. Prædicatorum, Clarus Theologiæ Doctor & Professor, Cardinalis ab Auunculo Clemente 6. creatus est, scripsitque

Quædam in Theologia, vt refert Cortesius.

Et sermones doctè compositos. Obiit Tholosæ an. 1345. Ibidem ad Prædicatores sepultus.

RAYMUNDVS DE CANILLAC Gallus, Decretorum Doctor, quem alij Deodatum vocant, ex Episcopo Atrebatensi Cardinalis, scripsit

Recollectorum librum ad Septimianum Narbonensem Archiepiscopum. Obiit Auenione an. 1373. Ibidem ad Minores sepultus.

ÆGIDIVS CARILLVS Albornotius Cardinalis Hispanus, immotæ pacis apud Italos exitiali bello laborantes constitutor, cuius vitam Ioannes Genesius Sepulveda libris aliquot complexus est, scripsit, cum esset Apostolicæ sedis Legatus,

Constitutiones pro tranquillo statu Piceni Ægidianas dictas, quibus etiam nunc Picena Regio dirigitur.

Aliaque constitutiones, cum Vicarius esset Regni Siciliae citra quæ in Cardinalis Sirleti Biblio-

theca visuntur. Obiit anno 1364. Iacetque in Cathedrali Toletana cum hoc Epitaphio.

Aegidius de Albornots Cardinalis Archiepiscopus Toletanus.

PASTOR DE ALBERNACO vulgo Aubenaz Gallus, ord. Minorum, ex Archiepiscopo Ebredunensi Cardinalis, multa in sacros, prophanosque libros commentaria scripsit, vt notat Ciaconus, &

De gestis suo tempore in Ecclesia memorabilibus, vt refert Eisengrein. Obiit Auenione.

Anno 1354. Ibidem ad Minores sepultus.

PETRVS BERTRANDI ex Oppido Annonay apud Viuarienses Gallus, ex Episcopo Anticiodorensi & Heduenfi Cardinalis, Ius vtrumque Auenioni, Aureliæ, Lutetiæ & apud Montempessulanum publicè professus est: Collegiumque quod etiam nunc conditoris nomen obtinet Lutetiæ excitauit, scripsit

Responsorum libros plures.

De origine Iurisdictionis, seu de duabus potestatibus temporalis nempe & Spirituali.

Orationes multas.

Librum aduersus Petrum de Cugnerijs Clero infensum.

Et alia multa nondum edita, quæ Lutetiæ anno 1575. furto sublata fuisse tradit Gualterus suo in opere Chronologico. Obiit Auenione anno 1361.

IOANNES MORLANDINVS Lemouicensis ordinis Prædicatorum Cardinalis ad publicam Scholasticæ Theologiæ professionem maturè accessit, cum antea compluries instituti sui sodalibus Aristotelem enarrasset, scripsit

De reparatione lapsi.

Sermones multos, qui obfirmatos etiam animos
transadigunt,
Et alia quædam, vt habet Cortesius. Obiit Auenio-
ne anno 1358. Iacetque Tholosæ in Ecclesia Præ-
dicatorum.

AB INNOCENTIO VI. CREAT.

HELIAS DE ANTI-BALDIS à S. Heredio, vulgo
saint Yriey apud Lemouicenses, Ordinis Minorum ex
Episcopo Vticensi Cardinalis, scripsit ingeniosè.

De vita contemplatiua.

In libros Sententiarum.

Postillam in Apocalypsin.

Et alia quædam. Obiit Auenione an. 1367. sepul-
tus ad Minores.

GVILLELMVS FARINERIVS Gallus Franciscana
instituta professor in Monasterio de Gourdon diocesi.
Caturcensis; scripsit, Ægidii Albornotii Cardinalis
rogatu, librum

De Cambiis, seu (vt ipsissimis Cortesij verbis vtar,)
de mutuatitia negotiatione, ex quo facile intel-
ligi possit quot ex Nudinatum pretiis Nummi
in singula cetera permutationis nomine exigi,
& quando possint.

Sermones multos.

Commentariaq; super sacros, prophanosque libros
Obiit auenione anno 1361. Sepultus ibidem in
Ecclesia Minorum.

NICOLAVS ROSELL seu Roselli Tarraconensis
Hispanus, ordinis Prædicatorum Cardinalis
Antiqua Pontificum Romanorum gesta prægran-